

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechthildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XV. Quod amor omnia ejus neglecta supplevit.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

CAPUT XV.

QUOD AMOR OMNIA EJUS NEGLECTA SUPPLEVIT.

ALIA vice, cum tempus sibi a Deo concessum inutiliter expensum in amaritudine cordis sui recogitaret, et dona Dei ut ingrata absque fructu consumpsisse commemoraret, dixit ad illam amor : « Ne turberis : ecce ego omnia debita tua recuperabo, et cuncta neglecta pro te supplebo. » Et cum hoc donum magnum sibi videretur, tamen non poterat inde consolari præ nimietate doloris eo quod tanta bona amisisset, et Deum amatorem suum, qui tam innumera bona ipsi contulit, tam ardentem non amasset, et tam infidelis ei exstitisset, qui sibi et omnibus semper fidelissimus est. Cui Dominus : « Si mihi perfecte fidelis es, tunc multo carius tibi sit ut amor meus neglecta tua pro te suppleat, quam tu, ut ipse ex hoc laudem habeat et honorem. »

Melius est
animæ ut
ejus
infidelitates
amor
suppleat.

CAPUT XVI.

QUOD EI DOMINUS AMOREM IN MATREM DONAVIT.

ALIA vice, circumdedit eam amor vestimento solaris luminis, et accesserunt ambo, videlicet amor et anima, et stabant in Christi præsentia, tamquam virgines pulcherrimæ. Anima vero multum affectabat propius accedere, quia quamvis illam imperialem faciem contempleretur, non tamen illi sufficiebat. De quo dum miraretur, essetque in magno